


Ad Nobil. & Clarissimum DN. MAYERUM.

 Vamprimum Academiae nostrae sacris initiatus es, MAYERE optime, igniculi illi, in Gedanensi Tibi palaestra impressi, in flammulas prorumpere coeperunt & variis solidae eruditionis auctibus amplificari. Cumque scire Tuum nihil esse putares, nisi Te scire hoc sciret alter, cathedram conscendere, cum Commilitonibus, non manibus quidem, ore tamen linguaque digladiari, viresque inter eruditorum turmas haecenus collectas & exercere & ostendere pensi habuisti. Vidimus hos impetus Tuos & ad majora quotidie eluctandi contentiones, & quam publico spem, quamque expectationem promittas, argumento nequaquam dubio colligimus. Eandem igitur ut ipso aliquando effectu inter omnes TUORUM gratulationes expleas, ex toto pectore opto. Scr. in Musæo, die XIIX. Febr. MDCCXIV.

JO. FECHT, D.

*Clare Docto DNO. MAYERO, S. S. Theob. Studioso strenuo,
Praesentis Dissertationis eruditissima & maxime pia
Respondenti felicissimo*

S. P. D.

J. N. QVISTORPIUS, D.

Tuam propitia veritate, Optime MAYERE, laudo in studiis industriam, quam & olim multis in illustri Gymnasio Gedanensi probasti documentis, ut me per epistolam summe Reverendus Dn. Johannes Falckius, Theolog. & Pastor insigniter Dantisci meritis, Agnatus & Frater in Christo, (quem DEUS adhuc diu velit habere sospitem Tibi Patronum & mihi consanguineum integerrimum) certiore fecit. Abs illo etiam tempore, quo nobis redux factus es, nullam sine litera dimisisti horam. Comites habes modestiam & pietatem inprimis aestimandam, infucatisque Christianis jucundissimam. Publicis etiam speciminibus virtutem tuam, tam in Cathedra Ecclesiastica, quam Academica demonstrare Tibi pulchrum est, testes harum laudum
sunt